

IV

memoriae prodiderunt. *Cedrenus* principem puellam ex Oriente accersit, quam regi Hungariae coniugem dat; de regis, deque sponsae nomine, altum filet. Forte Euphrosyne illa fuit, quam Geysae I. coniugem, e Bulla quadam Pontificia, se declaraturum, teste ill. *Lenzio Pruf. Gesellsch. T. II. p. 233.* olim promiserat *Kempelinus*, qui tamen promissio huic non fecit satis, iam fatis functus.

Geysa mortuo, eius frater, S. Ladislaus rex, Croatiae, quam a sorore, Zuonimiri regis coniuge, cui maritus improlis regnum legauerat, hereditate accepit, Almus regem dedit a. 1091. Ita vetus monumentum in Registro Monasterii S. Mariae Iadrensis apud *Lucium Dalmat. p. m. 106. b.* In serie Banorum Croatiae, edita Tyrnaviae a. 1738. non fit Almi mentio; sed et reliqui Scriptores de hac eius dignitate tacent: forte quod diuturna non fuit. Id confitentur omnes, Ladislaum, morti vicinum a. 1095. quod ipse improlis esset, e fratris Antecessoris sui filiis, Colomano et Almo, hunc minorem natu Hungaris commendasse, qui sibi succederet, quod Colomani ingenium sanguinarium videbatur, scribente *Thurocio II. 59. Bonfinio Dec. II. L. 5. init. (conf. Lucium p. II. Réwa Cent. II. p. 8. Ens rerum Hungaricar. II. 7.)* Sed caruerunt exitu haec Ladislai regis consilia: siue quod Hungariae Proceres, nascendi ordinem sequi, sibi que ipsis regem constituere, quam dari a rege moriente mallent; siue quod Almus ipse, audito Colomani fratris e Polonia reditu, (nam eo, metu Ladislai, confugerat,) et regni Procerum de successore consiliis, non crederet se suscepturum tuendae regiae dignitati. *Thurocius II. 59. Almus, sincera simplicitate ductum, scribit, honorauisse fratrem suum Colomannum, praeferendo ipsi coronam regni, tamquam cui iure primogeniturae videbatur competere.* Rarum id modestiae et fraternae pietatis exemplum vocat *Casp. Ens rer. Hungar. II. 7.* quod profecto, quia tempori cedendum fuit, (erat enim a Senatu regni, quem Colomanus conuocauerat, scribente *Ranzano*, super ea re iudicatum,) non nisi speciem virtutis habet, erat-